



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

III. De consuetudine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

aut aliqui ex subditis præmissorum rebelles & inobedientes inuenti fuerint, contra tales per nos & nostros suffraganeos ad pœnas grauiores procedemus iuxta canonicas sanctiones.

ANNO
CHRISTI
1440.

III.

De consuetudine.

Consuetudines quæ grauamen ecclesiis inducere * de-^{* dino-} monstrantur, inualidas publicamus, locorum ordinariis, ^{scuntur.} vt in omnem euentum eis resistent, firmiter iniungentes.

IV.

De renuntiationibus.

Nullus ecclesiam, vel beneficium ecclesiasticum dimittere vel recipere præsumat sine sui superioris auctoritate; quod sub pœna excommunicationis vel suspensionis omnibus firmiter inhibemus.

V.

De scrutinio.

Statuimus, quod nullus ad examen per sacrorum ordinum susceptionem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo sacerdoti. Et quia pauci sunt, qui sua delicta cum sequelis eorum intelligant, per districtum informatorem debet instrui ordinandus, an expediat sibi ordinari, an vero † irregularitatis alicuius prætextu ei potius sit abstinendum.

† id est, finis alicuius præui & minus recti, & legitimi.

Item quod nullus admittatur ordinandus vel promouendus ad ordinem super vicaria, (* nisi sit perpetua vicaria) a qua non possit ad inordinatum placitum amoueri.

* hac præsententia clausula in manus scriptoribus deest.

Statuimus insuper ad terrorem malefactorum, vt omnes episcopi prouinciæ Saltzburgensis, ac eorum vicarii, quando volunt & debent suis temporibus ordines celebrare, committant expresse examinadoribus clericorum ordinandorum sub anathematis interminatione, vt inter cetera perquirenda, fidei diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi a singulis ordinandis, vt si patres, aui, aut progenitores eorum, vsque ad quartam lineam ascendentem, captiuauerint, captiuatum detinuerint, occiderint, aut mutilarint temere